

voluisset, ergo ex vi solius essentiæ sine voluntate libera non potest sumi sufficiens principium, quod hoc sit futurum, et non illud, cum ex æquo se habeat ad omnia possibilia. Et confirmatur, quia quod hoc futurum sit determinate futurum, et non maneat in statu puræ possibilitatis, non est prædicatum necessarium, sic enim omnibus conveniet, sed libere, et contingenter rem denominans, ergo debet origo, et radix ejus reduci ad primam causam liberam, hæc autem est voluntas divina, et non essentia Dei ante liberum actum.

VIII. Ex parte autem ipsius rei futuræ sumitur ratio hujus, quia futuritio contingens ex principiis ex quibus habet futuritionem ut contingentem et indeterminatam, non habet determinationem ejus, sed ex illa causa et principio habet determinatam veritatem, a quo ipse eventus quando de facto accidit, habet determinari, et poni extra indeterminatam, et contingentiam causarum, et reddi de facto præsens, et determinatus in se. Hæc autem determinatio non potest nasci ex solis illis causis, ex quibus nascitur contingentia et indeterminatio in futuro, ergo alia est assignanda. Sed omnes causæ creatæ non sufficiunt tollere istam contingentiam, præsertim in rebus liberis, aut si sufficiunt ut in eventibus naturalibus, id habet ultimate ex Deo, qui præparavit istas causas ut tollerent contingentiam pro hac parte potius quam pro opposita, et generaliter nihil fit de istis effectibus determinatis, nisi ex ordinatione voluntatis Dei, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ergo ex ipsius dispositione debet sumi determinata veritas ut infallibilis, quæ ex causis proximis et contingentibus sumitur ut indeterminata, indifferens. Itaque in omni veri-

tate cognoscenda fundamentum ejus quærendum est, et in veritate futuri determinata, fundamentum determinatum; si autem attendamus ad naturam ipsius eventus ut futuri habet de se omnimodam contingentiam, et similiter si ad causas ejus proximas, juxta quas regulatur quid exigit ejus natura. Si vero in ordine ad Deum, inde habet ultimam et infallibilem resolutionem et determinationem ex ipso modo operandi Dei, non quidem antecederet ad dispositionem liberam suæ voluntatis, quia essentia Dei, et potentia ante voluntatem non est determinata ad tale futurum, sed indifferens ad possibilitatem, ergo ad decretum et voluntatem consilii divini recurrendum est, quia secundum illud operatur omnia.

IX. Nec potest dici sufficere ipsam divinam essentiam sine decreto ad cognoscendum rem fore, vel existere connotando extrinsece ipsam existentiam, sicut species Angelorum repræsentant de se rem in communi; ut existens autem in singulari per hoc solum quod illa res ponatur in rerum natura, a repræsentatione illius speciei attingitur. Hoc inquam non sufficit, quia specie angelica repræsentat res factas ab alio, id est, a creatore, unde non oportet ad videndam existentiam, quod videat illam ut procedentem a se, sed solum ut positam in rerum natura, nam hoc ipso illi assimilatur species et repræsentat illam. Deus autem non potest repræsentare existentiam rei ut factam ab alio, et per assimilationem suæ essentiæ ad illam, sed ut factam a se per voluntatem suam, quia per illam operatur omnia, nec repræsentat illam quomodocumque, sed cum omni perfectione et comprehensione, ergo non sufficit extrinseca positio existentie, ut illam repræsentet, sed requiritur quod repræsentetur ut

facienda a se, atque adeo mediante decreto voluntatis suæ, quo determinat Deus libere quid faciendum sit.

X. Dico tertio: Non sufficit ad cognoscendum determinatam veritatem futuri contingentis decretum de concursu concomitante cum causa ipsa contingenti, præsertim in sententia, quæ docet dari talem concursum indifferenter, et ab ipsa voluntate determinari, sed omnino requiritur decretum antecedens, et causans illam veritatem, nec debet efficacia decreti sumi ex veritate ipsa præsupposita, et cognita per scientiam mediam. In prima parte hujus conclusionis conveniunt etiam plures ex oppositis auctoribus qui optime vident non posse sine scientia media succurri infallibilitatem divinæ scientiæ ex decreto nudo concurrendi concomitanter, nisi prius sciat in quam partem inclinatura sit voluntas nostra, idque expresse asserit p. Vasquez in primo tomo, l. p. disp. xcix, cap. vii, num. xliv. Scio aliquos concedere quod hoc decretum quatenus importat quamdam obligationem, aut promissionem Dei concurrendi generaliter cum omnibus causis, vel determinate cum aliquibus possit se habere ut causa remota futuritionis, quia sine concursu Dei, quem promisit non defecturum causis creatis non potest effectus ille poni, et sic sicut est causa realis illius entitatis, ita et cognoscibilitatis ejus, de quo videri potest pater Alarcon de scientia Dei, disputatione ii, cap. vi, num. xxi, qui tamen cum Arrubal, et Vasquez negat Deum uti illo decreto sic promissivo, vel obligativo ad concurrendum cum creaturis tamquam medio ad cognoscendum futura, quia sic dicunt, quod concederetur Deo discursus, et imperfecta cognitio, quasi idem sit cognoscere aliquid in aliquo tamquam in medio, quod

potest unico actu fieri et sine discursu, atque cognoscere ex aliquo illative quod per discursum fit, de quo jam satis in superioribus actum est.

XI. Certum ergo esse debet quod istud decretum concursus concomitantis cum causa contingenti non sufficit ad cognoscendam determinatam veritatem. Quia quando datur iste concursus a Deo, vel supponitur causa libera determinata ex parte sua, vel adhuc indifferens, et indigens determinatione. Si primum, ergo ex vi concursus simultanei talis determinatio non cognoscitur, sed supponitur. Et sic non reducitur ad decretum dandi concursum simultaneum illa certitudo, sed oportet inquirere a quo principio habeat illam, cum supponatur ad illud decretum. Si secundum, vel ille concursus simultaneus eam determinat, vel ab alio principio. Si determinat, jam non est simultaneus, quia determinat causam secundam, ut agat, ergo ante ejus actionem est influxivus in illam, non cum illa in effectum, et sic non est simultaneus, sed prior, utpote causam non effectum determinans. Si ex alio principio fit illa determinatio, ergo non ex vi simultanei influxus id habet, sed aliunde, et sic impertinenter recurritur ad decretum de concursu simultaneo. Et tunc restat videre ex quo principio determinatio oriatur. Et solum potest esse duplex via. Altera, quæ dicit determinationem causæ liberæ indifferenter se habentis, ita sumi ex ipsa, quod hoc ipsum in nullo statu possit sumi nisi ex decreto Dei causante non supponente determinationem illam et solum prævidente. Altera quod ita sumitur ex ipsam et voluntate creatam se determinante, et Deo solum indifferenter concursum offerente, quod ante omne decretum suum Deus videat

quamecumque determinationem liberam in statu conditionato, licet de facto, et in statu absoluto non ponatur sine decreto Dei de illo concursu ponendo, cum quo praevidebat rem esse faciendam.

XII. Contra hoc procedit secunda pars conclusionis, in qua dicimus non sumi efficaciam decreti ex veritate determinata præsupsita in scientia illa cognoscente ante omne decretum, sed Deum cognoscere omnia quæ futura sunt, et a se causanda in decreto prædefiniente, quod nomine prædestinationis intelligit Augustinus cum dicit in libro de prædestinatione sanctorum, cap. x: « Prædestinatione Deus ea præscivit, qua fuerat ipse facturus. Unde dictum est: fecit, quæ futura sunt. » Ergo nihil cognoscit de futuris, nisi ut factum et causatum a se, et in decreto seu prædestinatione causante, non ante illam, nec præsupponendo per scientiam mediam. De hac autem scientia media ejicienda fusius agemus disputatione sequenti. Pro nunc sufficit conclusionis partem corroborare auctoritate S. Thomæ insigni loco quæstionis vi de verit. art. iii, ubi posuit tertium argumentum: « Quod causa quæ habet certitudinem ad aliquem effectum, de necessitate illum producit: voluntas autem Dei habet certitudinem ad effectum quia voluntati ejus nihil resistet, et sic de necessitate effectus contingit. Si autem dicatur quod habet certitudinem ad effectum cum præsuppositione causæ secundæ, — (ecce certitudo scientiæ mediæ non fundata in causalitate divinæ voluntatis, sed in præsuppositione causæ liberæ secundæ quæ præsupponitur determinata et prævisa) instat s. doctor — quia omnis certitudo quæ est cum suppositione alicujus, non est certitudo absoluta, sed conditionata, et sic si certitudo prædestinationis

sit cum præsuppositione causæ secundæ non est certitudo absoluta, sed conditionalis tantum. » Respondet autem D. Thomas ad primam partem argumenti, quæ est solutio ad iii: « Quod Deus agit in voluntate non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed movet eam, non auferendo modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit, et ideo quamvis divinæ voluntati nihil resistat, tamen voluntas, et quælibet alia res exequitur divinam voluntatem secundum modum suum, quia, et ipsum modum divinæ voluntas rebus dedit, ut sic ejus voluntas impleretur, et ideo quidam implent necessario, quidam contingenter, licet illud quod Deus vult semper fiat. » Ecce quomodo ponit D. Thomas decretum faciens certitudinem, et salvans contingentiam, quia scilicet ipsum modum contingentiae divinæ voluntas dat, et sic dando id quod vult, certificatur de illo; non supponendo. Et ad alteram partem argumenti quæ loquitur de certitudine habita ex suppositione effectus seu causæ secundæ prævisæ, respondet solutione ad iv: « Quod causa secunda quam oportet supponere ad inducendum effectum prædestinationis, etiam ordini prædestinationis subjacet, non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus virtutis superioris agentis; et ideo ordo divinæ prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem. » Qui locus manifestissime jugulat scientiam mediam, sicut de illa tractasset s. doctor in terminis, in quibus nunc disputatur, ut sequenti disputatione amplius ponderabitur. Nam scientia media ponit totam certitudinem in voluntate, et causalitate Dei ex præsuppositione causæ secundæ seu operationis ejus prævisæ ante

decretum, et non causatæ ex antecedente efficacia decreti. D. Thomas autem ponit præsuppositionem illam causæ secundæ oriri ex prædestinatione, seu decreto, et subjacere ei, ergo nullam certitudinem agnoscit ex præsuppositione alicujus non subjacentis, nec supponentis decretum Dei, ergo tollit scientiam mediam et ex opposito de illa loquitur. Nec potest dici, quod illa præsuppositio causæ secundæ subjacet ordini prædestinationis in statu absoluto, et ut ponatur in re, non in statu conditionato. Nam D. Thomas in argumento loquebatur de certitudine, et veritate illius præsuppositionis in statu conditionato, quia dicit: « Illam veritatem quæ est cum suppositione alicujus causæ esse conditionatam, » et loquitur de suppositione causæ secundæ ante prædestinationem, seu decretum, ergo loquitur de illa in statu conditionato, et ut facit veritatem conditionatam, ergo eodem modo debet loqui in solutione.

XIII. Et fundamentum hujus non est aliud, quam quod prædicta scientia media, et certitudo fundata in illa, est aliquid imperfectissimum in Deo, et illi impossibile ut ostendatur in sequenti disputatione et reducens totam certitudinem objecti conditionati ad aliquam veritatem, cujus determinatio pro statu conditionato est non necessaria, sed libera, et tamen independens a Deo, ita quod non est in manu Dei immutare illam pro eo statu, cum antevertat omne ejus decretum, et manum, a qua mutari et verti possit, et necessario cognoscat Deus illam veritatem liberam pro illo statu, atque adeo pro illo statu nihil mutare potest, et ordinare de illis veritatibus liberis, sed tantum spectare. Quod quantæ imperfectionis, et absurditatis in Deo sit, sequenti disputatione ostendemus.

XIV. Unde inferitur, quod decreta absoluta efficacia, quæ auctores oppositi admittunt pro futuris in statu absoluto reponendis, aut etiam decreta prædefinitiva Dei circa aliquos actus nostros, ut admittuntur a p. Suarez ubi supra, in quibus ipsa prædefinitio non ponitur ad causandam, et determinandam voluntatem nostram liberam, sed ad specialiter intendendum illos actus, et ita sumit prædefinitionem in alio sensu longe dispari a nostro, qui prædefinitiva decreta ponimus pro causanda determinatione voluntatis contingentis, non pro præsupponenda, nihil juvant ad propositum, nam omnes isti auctores supponunt efficaciam illorum decretorum præsupponere quid nostra voluntas factura sit in tali occasione, idque præcognitum a scientia media ante omne decretum Dei. Unde decretum executivum rerum in statu absoluto nihil aliud exequitur, quam administrare rem quam vidit præsuppositam, et determinatam si talis status, vel conditio ponatur. Hæc autem decreta non sic dari, sed absoluta, et non præsupponentia veritatem, et determinationem voluntatis, sed causantia, ostendemus sequenti disputatione et circa quæstionem xix. In præsentem autem illis præsuppositis, solum asserimus Deum in illis cognoscere infallibiliter futura absoluta contingentia, quia determinatio illius veritatis de futuro contingenti non habet aliud fundamentum, et causam quam divinæ voluntatis determinationem, et consilium quod operatur omnia, et sub omni statu in quo indifferenter poterat poni, vel non poni, qualis est status conditionatus, posita enim quacumque conditione particulari posset libertas ad aliud determinari. Determinatio autem illius veritatis non potest reduci tamquam ad fundamentum, et cau-

sam ad ipsam naturam futuri eventus, ut futuri, quia potius indeterminationem habet de se ad fore, vel non fore, neque ad causas creatas, quia omnes non sufficiunt tollere infallibiliter contingentiam, et indeterminationem causæ liberæ. Neque ad infinitatem divini intellectus, quia æque bene poterat oppositum intelligere si ad oppositum veritas illa determinaretur, de se enim intellectus solum est ratio intelligendi elicitive, et ut principium eliciens, non ut ratio formalis objectiva, seu medium intelligendi, quod ex parte objecti debet assignari: intellectus enim divinus suo lumine infinito intelligit res ut sunt in se. Unde si in se non sint determinatæ veritatis, sed contingentis sic debet intelligere, alias falso intelligeret. Unde infinitas luminis non confert, sed supponit rationes formales et determinativas veritatis ex parte objecti.

XV. Dico ultimo: Deus non cognoscit decretum suum liberum ut futurum pro quocumque signo, vel prioritatem in qua consideretur. Est contra p. Suarez libron de scientia Dei, cap. viii, n. vi et alios qui existimant Deum comprehendendo suam essentiam pro illo priori, quo nondum intelligitur actus liber, comprehendere etiam suam liberam voluntatem, et videre quid sit volitura in sequenti signo rationis. Et sic ad modum futuri videt decretum suum, licet in re nunquam sit futurum, quia in re non datur successio, sed omnimoda indivisibilitas durationis. Sed quia illud decretum pro illo signo nondum intelligitur ut præsens, sed ut potens esse, intelligitur ad modum futuri.

XVI. Cæterum hoc neque juvat sententiam horum auctorum de cognitione futuri creati ante decretum Dei, neque est verum, istamque futuritionem etiam rejiciunt alii

auctores ejusdem familiæ, Vasquez, Becanus, Granados, Herice, et alii quos citat, et sequitur p. Alarcon de scientia Dei, tract. ii, disp. iii, cap. i, num. viii et x. Non juvat, quia pro illo signo quo dicitur nondum videri ut præsens suum decretum, sed ad modum futuri, etiam nondum videbit actus liberos creatos, ut determinate futuros, nisi dependenter a decreto suo, quod tunc videt ut futurum, quia ab illo dependent actus liberi creati, et quæcumque contingentia, ergo per hoc, quod dicitur Deum cognoscere decretum suum ut futurum, nihil de difficultate prædicta elevatur. Non est etiam verum, quia licet a nobis distinguantur prioritates seu signa rationis in Deo, non tamen Deus ipse sic distinguit, qui non format distinctionem rationis inter actus suos, vel attributa. Et licet nos distinguamus prioritates istas, et signa, nunquam tamen sub ratione futuritionis illa distinguere possumus, nec cum fundamento in re ponere, quod una prioritas respiciat aliquam posterioritatem in Deo ad modum futuri, multo autem minus quod Deus ipse, qui has distinctiones non format, aliquid sui per modum futuri videat, et per modum successionis. Et ratio est, quia tum alias etiam pro illa prioritatem, in qua intelligitur Pater constitui, et nondum intelligitur generare, intelligeret Filium ut futurum, quia nondum intelligitur ut præsens, quia non ut genitus, et sic intelligeretur in Trinitate prius, et posterius in duratione, quod admitti non potest; eadem autem est ratio de Filio seu Spiritu Sancto producendo pro illo primo signo rationis, et de actu libero ut habendo, et quod sufficit ad futuritionem hujus, etiam ad futuritionem illius. Tum etiam quia nec ratione nostra possumus intra Deum fingere prioritates in quo,

quæ explicant prius, et post duratione, sed solum prioritates a quo, quæ explicant connexionem unius cum alio, vel rationem unius erga aliud; nam prioritates in quo omnino repugnant in Deo cum illo infinito esse, et actu puro, in quo nihil potest intelligi sub non esse, seu sub expectatione, et transitu ad esse, quod tamen includitur in præciso conceptu futuri, repugnat autem aliquid quod est actus purus, et ipsum esse a se, concipere sub non esse, vel expectatione, aut transitu ad esse, si quidem est ipsum esse, ergo implicat quod aliquod decretum Dei consideretur, vel a nobis ut futurum, id est, ut nondum habens esse, sed ut habiturum; hoc enim est de conceptu futuri, si quidem conceptus et prioritas futuri est conceptus durationis, futuritio enim duratio est, ergo prioritas futuritionis non potest non esse prioritas durationis et in quo, et hoc contradicit conceptui ipsius esse a se. Quare pro illo signo rationis, quo intelligitur comprehendi a Deo divina essentia, non intelligitur decretum Dei ad modum futuri, tum quia comprehensio in illo priori signo, si vera comprehensio est, omnia involvit secum, et non relinquit aliquid cognoscendum pro alio posteriori, tum quia illa prioritas solum est rationis seu prioritas a quo, non durationis, et in quo, et sic nihil de futuritione in ea relucet. Et instatur hoc in ipsis Personis producentibus, quæ pro nullo priori intelliguntur ut futuræ, licet nondum intelligatur pro aliquo priori originis Filius ut genitus, vel Spiritus Sanctus ut spiratus.

XVII. Ex his colliges quomodo verum sit quod S. Thomas dixit in hac quæstione, art. viii ad i, explicans dictum Origenis: « Quod non propterea aliquid erit quia Deus scit futurum, » quod D. Thomas explicat

de scientia nude considerata ut non habet rationem causalitatis ex adjuncta voluntate. Quando vero dicit, præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligitur secundum rationem consequentiæ, sequitur enim si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscit, non tamen secundum rationem essendi, quia res futuræ non sunt causa quod Deus ea sciat. Hæc enim doctrina ex dictis optime explicatur, quia scilicet posito decreto, seu voluntate Dei, illa est causa quod res sit futura, et quod cognoscatur a Deo ut futura, quia sic scientia cum decreto habet rationem causalitatis, ut aliquid sit futurum. Non tamen intelligi potest, quod futurum ante omnem voluntatem Dei sit causa, ut sciatur a Deo tamquam futurum, quia nihil est futurum determinate ante causalitatem voluntatis Dei. Quam tamen doctrinam S. Thomæ non possunt sustinere qui ponunt futura esse determinata ante omnem voluntatem Dei, et ideo præsciri a Deo, quia sunt futura, seu supponuntur futura.

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta opposita.

I. Primo, arguitur ad probandum quod futura contingentia habent ex se determinatam veritatem, et quod ista regulatur penes eventum qui in tempore determinate succedet, non penes causas futuritionis, quæ contingentes, et indeterminatæ sunt. Nam propositio de futuro, v. g. Petrus cras ambulabit (supposito quod ita postea succedat ut eventus probat) habet suam de inesse veritatem determinatam, ergo et ipsa de futuro eandem veritatem habet. Antecedens supponitur, quia loquimur de futuris absolutis quæ determinate evenient, et sic supposito eventu